

es¹ omnino, abolita specialium immunitatum gratia, necessitas tributae functionis, firmata censitorum peregratorumque provincialium iudicium peregratione constrinxerit. — Dat. 3 non. Mart. *Mediolani*, *MEROBAUDE 2* et *SATURNINO* CONSS. 385.

2. Imp. HONOR. et THEODOS. AA. Anthemio P. P.

Per Bithyniam ceterasque provincias possessores in reparatione² publici aggeris, et ceteris huiusmodi muneribus pro iugerum numero vel caput quae possidere noscuntur, dare cogantur. — Dat. 7 kal. novemb. *Constantinop.*, HONORIO 8 et THEOD. 5 AA. CONSS. 411.

TIT. XXVI.

DE CONDITIS IN PUBLICIS HORREIS.

1. Imp. VALENTINIANUS et VALENS AA. ad Volusianum P. P.

Omnia, quae in horreis habentur, expendi volumus, ita ut non prius id frumentum extendatur expensio, quod sub praefectura tua urbis norreis inferitur, quam vetera condita fuerint erogata: et si forte vetustate species ita corrupta est, ut per semet erogari sine querela non possit: eidem ex nova portione miscetur, cuius adiectione corruptio velata damnus fisco non faciat. Ad istud autem negotium arbitrato, ac iudicio tuo nobilis, prudens, fidelis, optime sibi conscius, pro integritate mentis apponatur custos, ac mentor: qui vel frumenta modio metiatur, vel iustis aestimationibus colligat quanta habeantur in condito. — Dat. 6 id. april. D. JOVIANO et VARRONIANO CONSS. 364.

2. *Idem*, AA. Anthemio praesidi.

Cum ad quamlibet urbem, mansionemve accesseris, protinus horrea inspicere te volumus, ut devotissimis militibus deputata, et incorruptae species praebentur: nam si per incuriam officii gravitatis tuae, sartorum tectorum neglecta procuratore, aliqua pluvii infecta perierint: ad damnum tuum referentur. — Dat. 8 kal. septemb. *Arelate*, JOVIANO et VARRONIANO CONSS. 364.

3. Imp. ARCADIVS et HONORIUS AA. Anatolio P. P. Illyrici.

Nulli posthac horreaticas⁴ species contingendi copia praebetur. Si vero quisquam temerario horreorum extiterit, qui sibi ex praedictis aliquid audeat usurpare, hanc penam sciat nostro arbitrio definitam, ut deportationis poena subjectus, totius substantiae cogatur subire iacturam. — Dat. 7 id. Jul. *Constantinop.*, CAESARIO et ATTICO CONSS. 397.

TIT. XXVII.

UT NEMINI LICEAT IN EMPTIONE SPECIERUM SE EXCUSARE; ET DE MUNERE SITOCOMIE.

1. Imp. ANASTASIUS A. Macroniano P. P.

Quotiens urgente necessitate comparationes frumenti, vel olei alicuiusque specierum quibuslibet provinciis indicuntur, nulli¹ penitus possidentium sese sub cuiuscunque privilegii occasione excusandi tribui facultatem censemus: omnique cuiuscunque possidentium, quocunque modo, quocunque tempore, per sacros apices, vel etiam pragmaticam sanctionem, aut iudicalem forte dispositionem huiusmodi excusatio data est, vel postea data fuerit, licentia minime unquam contra tenorem nostrae legis saluberrimae valitura: adeo namque huiusmodi onera cunctis, pro qua singulos portione contigerit, volumus irrogari, ut ab iisdem comparationibus nec sacratissimam nostrae pietatis, nec serenissimae nostrae conjugis domum patiamur subtrahere. — Dat. 3 kalend. August. *Constantinop.*, OLYBRIO V. C. CONSS. 494.

2.

Civitatum incolae, vel qui in eis aliquid possident, non cogantur in aliam civitatem, vel metropolin species conferre. Sed et si inevitabilis quaedam causa id fieri exigat, iustis pretiis, quae in ea civitate obtinent ex qua praebentur species, eas indigentibus vendant. Compensentur autem venditoribus pretia cum auraria collatione: nec enim aequum est, qui nunc praebuit species, et annonae copiam attulit, ei postea pretia computari: et hoc fiat cura, et solertia praesidis cuiuscunque provinciae. Nullus vero co-

TR. XXV. — 1. L. 5, supr. de annon. et tribut. tit. 16, h. lib. 1. L. 1, supr. de indic. tit. 17, h. lib. 1. L. 9, infr. de agr. et censu, lib. 11, tit. 47. — 2. *Adde* L. un. § 3, D. de via publ. et si quis.

TR. XXVI. — 1. Lib. 6, infr. de susceptorib., h. lib. tit. 70; L. 9, infr. de munit. lib. 11, tit. 7; L. 5, infr. de fundis rei privatae lib. 11, tit. 65; L. 2, infr. de his quae ex publ. collat.

gatur vendere omne id quod sui usus gratia comparaverit, sed superflua tantum: quandoquidem satis impium est suis quicunque defraudari, eaque in alios transferri, praeside qui legem violari violaverit concesserit, centum libris auri multando, et dignitate propria cinguloque spolando. Nulla unquam citra ingentem necessitatem iussionemque principis possessoribus coemptio indicatur, nec aliter quam ut coemptionis aurum ex auri collatione a possessoribus debita, si quidem ea omnimodo ad coemptionem sufficiat, retineatur. Quod si nihil fisco debeant in quibus coemptio indicitur, aut partem tantum, prius in nummis ponderis probi aurum accipiant, quam ab eis species exigantur, nemine audente vel injusti ponderis, vel ex parte tantum nummos exsolvere, vel qua alia ratione collatoribus damnus dare, damni quadruplo et eo quod pretio deest, ab eo qui secus fecerit, exigendo. Sed et si quis coemptionem indicere ausus sit, vel indicam illicite exegerit, quinquaginta libris auri multabitur, et militiam ac dignitatem amittet, majori etiam commotioni subdendus. At cum ex mandato principis coemptio indicitur, unusquisque pro rata iugorum et caput quae possidet, coemptioni subjiciatur, nemine excepto: eo, qui in exigendo hanc rationem non servaverit, quinquaginta librarum auri multam subituro, et dignitatem ac cingulum amissuro, et majorem aiam commotionem expectaturo.

Excipimus ab hac lege Thraciae dioecesis. In Thracia enim quia tributa fiscalia in solidum non inferuntur, barbarorum incurisibus colonis attritis, nec sufficiente specierum collatione ad alendos milites in ea consistentes, quod omnium maxime interest, nec tamen sine coemptione praestari potest, ideo eam frequentissime fieri longe necessarium est. In ea igitur dioecesi, quae hactenus obtinuit, consuetudo servetur, ei subjectis etiam negotiatoribus ut collatoribus, et negotiatoribus coemptionis aurum primum solvatur in nummis obryzis² et debiti ponderis, tum ab eis sine refragatione et damno ullo conferantur species, illo qui haec non servaverit, eidem subdendo poenis. Melius enim est instar privatae negotiationis militibus etiam negotiatoribus alimonia conferre. Quod si quandoque ob civitates aliquas inopes necesse sit coemptionem fieri, liceat praesidibus eam facere in territorio dantaxat ejus civitatis quae frumento indiget, et in confiniis ejus, et eo pretio quod in locis pro tempore obtinebit: quod et patres³ civitatum observabunt, et quilibet alius coemptionis curam gerens. At si necessitas exigat civilem coemptionem fieri in urbe regia deficientibus annonis, ea vero procedat ex sacra iussione, auro prius, sine damno et dilatione praestito, ut in foro rerum venalium distraherentur species, ita ut et nauta ex publico praebentur, et collator vendat solummodo suppeditetque egentibus necessarias species. Nihil vero hac constitutione innovatur eorum quae de coemptione magnae Alexandrinorum civitatis disposita sunt sacra forma de annona militum evocatorum. Subjiciantur multa quinquaginta lib. auri et periculo dignitatis ac cinguli tam maximi apparitores gloriosissimorum praefectorum praetorio; quam clarissimi praesides provinciarum, et eis obsequentia officia et locorum defensores, et alii publicorum tractatores, si hanc legem violaverint, aut violari concesserint, aut confestim et vere ejus violatores minime detulerint.

3.

Cum in civitate aliqua frumenti comparandi curatore opus est, ejus creatio fiat arbitrio, et electione episcopi, et primorum civitatis, non ut videbitur creatoribus, neque ex quibus voluerint personis, sed soli ex regione illa officiales militantes, et dimissi ad munus illud sitione ab eis promoveantur. Hi namque, qui in publicis negotiis diu sunt exercitati, facilius sitione munus expedient. At⁴ omni damno liberentur, qui eam necessitudinem, curamque sustinerint, et secundum leges discutiantur: quandoquidem aequum non est, ut ex tot laboribus damnus ferant: frumentum autem praebent non majore pretio, quam in foro distrahatur. Qui violari legem, aut violari concesserit, triginta librarum auri multam sustinet.

TIT. XXVIII.

DE COLLATIONE DONATORUM, VEL RELEVATORUM, AUT TRANSLATORUM, SEU ADERATORUM.

1. Imp. VALENTINIAN. et THEODOS. AA. Hermocrati P. P.

Dispositionem amplissimae recordationis Antiochi, quae certam quan-

h. lib., tit. 75.

TR. XXVII. — 1. L. 1, infr. de quib. muner. nemini liceat. h. lib., tit. 48. — 2. L. ult. infr. de veter. numismatis potest, lib. 11, tit. 10; L. un. infr. de oblat. votor., lib. 12, tit. 49, edict. Justin. 11. — 3. L. 5, in fin. infr. de his, qui sponte publ. muner. h. lib., tit. 45; N. 17, c. 4 § 1. — 4. L. ult. § 6, D. de edict. rerum ad civit. pertinet.

titatem ante se relevatis possessionibus nemine canonis indixit, non immani decernimus: id enim quoniam in canonem cecidit, et anniversaria debet pensatione persolvi: nec in praeteritum, nec in posterum patimur esse concessum. Indulgentiam vero memoratae descriptionis, et in ante actum, et in posterum tempus non solum in relevatis, verum etiam in donatis, adactis, translatisque, seu quodlibet aliud nomen novae descriptionis excogitatum est, volumus observari: nullamque super his unquam exactionis molestiam formidari: quibus non tantum reliqua praeteriti temporis relaxamus, sed nec in posterum quicquam innovationis¹ aut oneris adiciendum esse censemus: nullique licere deinceps contra divalia statuta relevare suas possessiones. Noverit tamen amplissimae tuae sedis officium, quod si aliquando nobis suggestio huic nostrae sanctioni contraria porrigatur: vel si sacris mandatis, si qua forte citra suggestionem his piis dispositionibus adversa emanaverint, obsequatur, et aliquos tantum debitores ex huiusmodi titulo crediderit exponendos: ducentarum librarum auri se condemnatione multandum. — Dat. 12 kal. decemb. THEOD. A. 18 et ALEIXO CONSS. 444.

TIT. XXIX.

DE COLLATIONE AERIS.

1. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Hilario P. P.

Aeris pretia, quae a provincialibus postulantur, ita exigi volumus¹, ut pro viginti libris aeris, unus auri solidus a possessore reddatur. — Dat. 5 kal. Jun. *Mediolani*, ARCAD. 4 et HONOR. 5 AA. CONSS. 596.

TIT. XXX.

DE DISCUSSORIBUS.

1. Imp. VALENT., VALENS et GRATIAN. AAA. ad Artemium vicar. Hispaniarum.

Quotiens in disceptatione consisterit inique discussionem fuisse contractam, et fidem facti non poterit approbare discussor, ipse in eodem titulo², et in eodem modo ad solvendum protinus urgeatur, in quo alterum perperam fecerit debitorem. — Dat. prid. id. Maji VALENT. NB. P. et VICTORE CONSS. 569.

2. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Messala P. P.

Ne casu amissa securitas publica, quaedam praeda nascatur collatoribus: decernimus, ut quando securitates a discussoribus seu apparitoribus expositae, ratiociniis³ publicis continentur, rursus per injuriam vel tentantur. — Dat. 5 kal. decembr. *Mediolani*, STILICHONE et AURELIANO CONSS. 400.

3. Imp. THEODOSIUS et VALENTINIANUS AA. Apollonio P. P.

Per singulas provincias, vel civitates, honoratis usque ad comitivam consistorianam, necnon etiam militanibus, et suis obsequiis non adherentibus⁴, advocatis⁵, qui etiam fori provincialis mandari discussionis iugerum sollicitudinem decernimus. — Dat. kal. Januar. EUDOXIO et DIOSCORO CONSS. 442.

4.

Nemo fiat discussor aliter, quam ex iussione principis, specialiter discussoris faciente mentionem, non praefectorum jussu, non ex praecocepto alterius cuiuscunque iudicis, non civilium operum, vel pecuniarum frumento comparando destinatarum, vel portuum, vel eorum, quae impenduntur in aquaeductus, murorumve constructione, vel ad vias sternendas, vel ad pontium et aggerum instructionem, sed neque pecuniarum ad lavacra destinatarum, vel alio quocunque modo ad civilem rationem pertinentium. At princeps, sive ex aerario pecunias miserit ad moenium, vel alterius operis constructionem, sive ab alio relictas civitatibus pecunias invenerit, semel vel etiam saepius cum is sederit animo, mittat discussorem, qui opus admetiatur, et rationes putet exacte, et ad se referat: ut si recte sumptus facti sunt, iis, qui fecerunt sacra securitas conficiatur, qua freti nullam iis postea, vel heredes eorum, aut bonorum possessores questionem patiantur. Valeat, et ab discussore post rationum discussionem emissa securitas, nec sacra aepoche, nec alia qualibet cautione indigens. Sumptus autem discussoribus pollicetur constituto, ut

TR. XXVIII. — 1. L. pen. infr. de omni agro deserto, lib. 11, tit. 55.

TR. XXIX. — 1. L. un. infr. de argenti pretio, h. lib., tit. 76.

TR. XXX. — 1. L. 56, supr. de appellat.: L. pen. supr. quorum appellat.: L. 1, supr. de ratiocin. per. publ. — 2. L. 6, infr. de censib., lib. 11, tit. 57. — 3. L. 4, supr. de fide instrum.: L. 2, § 1, supr. de quad. praeser.: L. 11, infr. de susceptorib., h. lib., tit. 70. — 4. Arg. l. un. in pr. infr. de collegat. — 5. *Immo* vide L. 6, supr. de advoc. divers. iudicior.: vide

sine damno ratiocinia tractent. Eos vero, qui de suo impendunt in opera civitatis, vel alias publicas necessitates, heredesque eorum, nullam vult discussionem sustinere, vel lucrorum, vel eorum, quae dicuntur ἀγορὰν aut παραγορὰν, vel sumptuum, qui fiunt circa muros fiscales, aut muliones, vel prosecutionum ratione, vel eorum, quae generali nomine vocantur solemnia. Caeterum praesidum nemo discussorem mittat, sed referat ad principem in hoc, ut ab eo mittatur, qui haec discutiat, ac ne unum quidem obolum inde corradat, sed tam fisco, quam collatoribus jus suum conservet: et si inventas apud aliquos pecunias fiscales exegerit, et sacro ornamento intulerit, licito iure sibi in singulas libras sex solidos pro solatio retineat. Quod si, vel obolum invitis, aut volentibus provincialibus acceperit, is quidem quod accepit reddat, quadruplum fisco inferens, et criminaliter coerceatur, quasi proditor fisci, collatorumque concussor. Qui autem dedit, quasi hoc ipso confessus se fisci rationibus obnoxium, rursus discutietur, et exigatur. Discussionem autem solemnium facta, et ad principem perlata, discussis sacra securitas detur: dari etiam ea potest a discussoribus, ita ut utroque casu nullam illi postea discussionem patiantur. Neque vero ob securitatem a se expositam discussor quidquam accipere potest, vel si quid exigit, possessoribus, et municipibus cum propulsandi⁶ jus est: referendi etiam ad principem, ut mittat aliquem, qui hoc genus concussionis coerceat. Praeses, qui post hanc legem non accepta ex scripto iussione principis, discussorem quacunque ex causa miserit, xx librarum auri, et officium ejus xv poenae subjiciatur, qui nec occasione repurgationis cloacarum, vel edificiorum muris adjunctorum, vel ruinae eorum: vel ob factas in publicis portibus προδορὰς, ut vocantur, et areas, vel eorum, quae in civitatibus intercolumniis edificatae sunt, quasi destruendae sint, vel de imaginibus, aliisque a se excogitatis modis, aut civilibus questionibus ulla iussione facere potest. Sed et si fecerit, licet civibus executioni earum obsistere, minimeque eis satisfacere, praesidibus provinciarum hoc silentio transmittentibus, et omni civili, publicoque auxilio eidem subdendo poenis, facultatem quoque habentibus iis, qui voluerunt preces principis offerre, et gesta perdocere, ut principalis indignationis correctio consequatur: praesidibus item talia iuberentibus viginti libris auri multandis, majoremque principis commotionem expectantibus: officio autem obsecundante praeter multam quindecim lib. auri in corpus castigando. Solum in principi licet horum inspectionem viro integro et fideliter atque ex usu civitatum haec indaganti, nihilque protinus ob id accipienti mandare. Provideant autem patres civitatum possessorumque potiores, ne quis civilem, vel publicum ullum locum in muris, vel in publicis porticibus, vel obsequiis, vel aliobi injusta ex causa detineat, et ne cuiquam detur quidquam ex publico sine sacra forma. Quae enim fuerint ab eis tradita, non recte rescinduntur: et in damno versabuntur, qui acceperint. Iidem provideant, ne, qui ex sacra forma habent possessionem aquae, quid usurpent praeter ceteros, et hic quidem plus, ille minus accipiat. Haec autem magnificus comes rerum privatarum, et ei obsequentes palatini perscrutari et deferre debent, impositasque poenas exigere: vel si neglexerint, viginti libris auri multantur, officium vero xv.

TIT. XXXI.

DE DECURIONIBUS ET FILIIS EORUM, ET QUI DECURIONES HABENTUR, ET QUIBUS MODIS A FORTUNA CURIAE LIBERENTUR.

1. Imp. VALERIAN. et GALLIEN. AA. et VALERIANUS C. Carterio.

Si cum te pater decurionem esse voluisset, et illo in rebus humanis agente² honor tibi iste delatus est: tenentur quidem etiam heredes ejus reipubl., nam in hac parte vice fidejussoris pater accipitur: sed non ante, nisi³ tuis [propriis] rebus excussis. — P. P. 5 kal. decemb. EMILIO et BASSO CONSS. 260.

2. Exemplum sacrar. literarum DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA.

Observare oportebit magistratus, ut decurionibus sollemniter in curiam convocatis, nominationem ad certa munera faciant: eamque statim in notitiam ejus, qui fuerit nominatus per officialem publicum perferri curent: habituro appellandi⁴, si voluerit, atque agendi facultatem apud⁵ praesidem causam suam jure consueto: quem si consisterit nominari minime debuisset, sumptum⁶ litis eidem a nominatore restitui oportebit. — *Sine die et consule.*

tamen et L. 1, infr. quibus numer. excus. — 6. L. 5, infr. de executorib.; lib. 12, tit. 67.

TR. XXXI. — 1. Lib. 50, D. 2; N. 38, N. Leon. 46. — 2. *Confer*: L. 21, § 2, D. ad munit. pub. — 3. L. 17, § 2, D. d. t. — 4. L. 1, § 3, D. quando appell. L. 1, pr. D. de vacat. et excus. muner. — 5. L. 24, infr. h. t.; d. § 3, L. un. in fin. infr. de vacat. publ. muner. h. lib., tit. 45; L. 57, in pr. D. ad municipal. — 6. L. un. infr. de sumpt. recuper., h. lib., tit. 67.

5. *Idem*, AA. et CC. Julio.

Cum decurionatus honorem 7 sponte susceperis ab albo eximi, [licet] annosum te esse dicas, non potes. — P. P. id. novemb. Dioclet. 2 et Aristobulo Cons. 285.

4. *Idem*, AA. et CC. Cassiano S. P.

Cum adoptivum filium ex adoptantis dignitate decurionis 8 filium effici nulla dubitatio sit: pro atrocibus injuriis eum quem ad vicem naturalis pignoris tibi adscribebas, a præsede provincie illicitis corporis cruciatibus adfici non oportuit 9: hocque congruenti pena coercetur 10. — P. P. 2 kal. decemb. Dioclet. A. 2 et Aristobulo Cons. 285.

5. *Idem*, AA. Alexandro.

Filios in potestate patris positos, ad munera seu honores non posse evocari falso tibi persuasum est. Sane si 14 ad nominationem filii consensum non accommodaveris ad administrationem ipsius minime conveniri poteris. — P. P. 6 id. Maximo 2 et Aquilino Cons. 286.

6. *Idem*, AA. et CC. Leontio.

Expertes litterarum decurionis munera peragere non prohibent jura. — Dat. 8 kal. Maji AA. Cons.

7. *Idem*, AA. et CC. Diogeniano.

Licet indivisa 12 bona fratres habent, nihilominus tamen singuli suo nomine civilibus tenentur muneribus. — P. P. 4 id. Maji ipsis AA. Cons.

8. *Idem*, AA. et CC. Platoniano.

Infamia, quæ tibi abominanda est, non etiam amissionis oculorum 13 casus, quæ tibi admittit honorem. — Dat. 16 kal. febr. Nicomedie, CC. Cons.

9. *Idem*, AA. Aurelio.

In albo decurionum præscriptis, patrem non 14 habenti filios anteferri constat.

10. *Idem*, AA. et CC. Aurelio.

Si ultra septuagesimum 15 ætatis annum patrem tuum esse præses provincie perspexerit: eum personalium munerum vacatione perfrui prohibebit.

11. *Idem*, AA. et CC. ad Maximum.

Uxorem 16 pro marito decurione conveniri non posse, proculdubio est.

12. *Idem*, AA. et CC. Zotico.

Nec infames 17 immunitatem habere, cum hæc privilegii, non notæ sit, convenit. — Dat. 3 kal. febr. AA. Cons.

13. *Idem*, AA. et CC. Proculo.

A muneribus decurionatus nec 18 sententia præsidis in perpetuum, nec anni quinquaginta, nec podagra 19 valetudo præstat excusationem.

14. Imp. CONSTANTINUS A. ad Evagrium.

Nemo judex 20 alicuius suo arbitrio de curia liberet: nam si quis fuerit hujusmodi infortunio depravatus, ut debeat sublevari, de ejus nomine ad nostram scientiam referri 21 oportet: ut certo temporis spatio civilium munerum ei vacatio porrigatur. — P. P. id. Mart. Constantino A. 3 et Licinio 3 Cons. 515.

15. *Idem*, A. Mechilio Hilario correctori Lucanie et Britiorum. Universos decuriones volumus a tabellionum 22 officiis temperare. — Dat. 3 kal. febr. SABINO et RUFINO Cons. 516.

16. *Idem*, A. ad Hilarianum procons. Africæ.

Si quis decurio, vel propriæ rei causa, vel reipublicæ cogatur nostrum adire comitatum: is non ante discedat, quam insinuatōi judici desiderio proficiscendi licentiam consequatur. Quod si pro sua audacia parvi aliquis hanc fecerit jussionem, indignationem competentem sortiatur. — P. P. 7 id. Jul. Carthage, CRISPO 3 et CONSTANTINO 3 Cons. 524.

17. *Idem*, A. ad Evagrium P. P.

Qui derelicta curia militaverit 23, revocetur ad curiam. — Dat. 16 kal. Jun. Constantino A. 7 et Constantio C. Cons. 526.

18. *Idem*, A.

Si ad magistratum nominati aufererint, requirantur: et si pertinenti

7. L. 2, in fin. D. h. t. — 8. L. 5, l. 6, l. 10, D. de senator. — 9. L. 5, supr. ex quib. caus. infam. — 10. L. 55, infr. h. t. — 11. L. 8, supr. ne filius pro patre; L. 5, § 3; L. 17, § 1, D. de munerib.; L. ult. infr. de filianimili, h. lib. tit. 60. — 12. L. ult. infr. de muner. et honor. non contin. — 13. L. 1, § 5, ver. cassum, D. de pactis. — 14. L. 6, § ult. D. h. t. — 15. L. 5, l. 5, § 7, D. de iure immunitatis; vide tamen L. ult. infr. qui etiam vel profess. — 16. L. 2, l. 3, supr. ne uxor pro marito. — 17. L. 49, infr. h. t.; L. un. infr. de infamib., h. lib. tit. 57; N. 45, in pr. — 18. Adde L. 14, infr. h. t. — 19. L. 5, infr. qui morbo se excus. h. lib. tit. 50. — 20. Adde L.

[eos] animo latere patuerit, his ipsorum bona permittantur, qui præsentem tempore in locum eorum ad duumviratus munera vocabantur: ita ut si postea reperti fuerint, biennio integro onera duumviratus cogantur agnoscere: omnes enim qui obsequia publicorum munerum tentaverint declinare, simili conditione teneri oportet. — Dat. 3 kal. octobr. Serdica, CONSTANTINO A. 9 et CONSTANTIO 4 Cons. 526.

19. *Idem*, A. ad Lucretium Paternum.

Vacuatis 24 rescriptis, per quæ munerum civilium nonnullis est vacatio præstita, omnes civilibus necessitatibus aggregentur: ita ut nec consensu civium vel curiæ præstita cuiquam immunitas valeat, sed omnes ad munerum societatem conveniantur. — Dat. 8 kal. novembr. Heracleie, CONSTANTINO A. 3 et CONSTANTIO 4 Cons. 526.

20. Imp. CONSTANTINUS et CONSTANS AA. Ordini civitatis Edesene.

Circensium magistratus desertores ad eam gravitas tua faciat necessitatem conditionis urgeri, ut quascunque pro his expensas civitas prærogaverit, refundere protinus ac representare cogantur. — Dat. 14 kal. febr. Naissi, ACINDYNO et PROCCO Cons. 540.

21. *Idem*, A. Nemesiano com. largitionum.

Curiales omnium civitatum nullam 25 pro re privata nostra debent inquietudinem sustinere: nec hujusmodi oneribus vel extraordinariis occupari: quoniam satis est, si civitatum munera per eos congrue compleantur. — Dat. prid. id. Aug. Bessæ, ACINDYNO et PROCCO Cons. 540.

22. Imp. JULIANUS A. Juliano comiti Orientis.

Eos indulerunt veteres principes ex materno genere curialibus Antiochenis 26 adscribi, quos patris condito nullius vindicare juri civitatis. — Dat. 8 kal. septemb. Antiochiæ, MAMERTINO et NEVITTA Cons. 562.

23. *Idem*, A. Juliano comiti Orientis.

Providendum est eorum novitati decurionum, qui nuper nomen curiis addiderunt, ne præteritis debitis susceptorum onerentur: sed conventis propter hæc debita [his] qui ea præcedentibus delegationibus contraxerunt, nullam eos molestiam pro sarcina nominationis alienæ sustinere patiaris. — P. P. Byritho, kal. novemb., MAMERTINO et NEVITTA Cons. 562.

24. *Idem*, A. Leontio consulari Palestinæ.

Si quis decurio pater sit duodecim 27 liberorum, honoratissima [munerum] quiete donetur. — Dat. kal. Mart. Antiochiæ, JULIANO A. 4 et SALLUSTIO Cons. 565.

25. Imp. VALENS et VALENT. AA. ad Byzacenos.

Curiales ultra 28 terminos provincie civitatis non jubeantur a moderatoribus provinciarum exhibere sui presentiam, nisi publica necessitas exegerit. — Dat. prid. id. septemb. Aquil., divo JOVIANO et VARRONIANO Cons. 564.

6. *Idem*, AA. ad Modestum P. P.

Quidam ignavia sectatores, desertis civitatum muneribus captant solitudines, ac secreta, et [sub] specie religionis cum cælibus monazontem congregantur. Hos igitur atque in hujusmodi deprehensos erui latebris consulta præceptione mandamus: atque ad municipia patriarum subeunda revocari, et pro tenore nostre sanctionis familiarium rerum carere illecebris: quas per eos censuimus vindicandas, qui publicarum essent subitari munerum functionum. — P. P. Byritho, kal. Januar., VALENTINIANO et VALENTE AA. Cons. 565.

27. *Idem*, AA. Mauris Sitifensibus.

Privilegio militiæ paternæ se 29 non vindicat, quem assuetus curiæ nexus astringit. Quod si militari avo et patre decurione nascetur, paternæ erit succedaneus functionis. — Dat. 9 kal. Mart. Trever., VALENTINIANO et VALENTE AA. Cons. 565.

28. *Idem*, AA. et GRATIAN. ad Volustanum P. U.

Nullus qualibet prærogativa fultus, a debitis 30 muneribus habeatur immunis. — Dat. 4 kal. Jul. Mediolani, VALENTINIANO et VALENTE AA. Cons. 568.

29. *Idem*, AA. Germano P. P. Galliarum.

Nati ex nquilarum nostræ domus matrimonio et patre decurione,

15. supr. h. t. — 21. L. un. infr. de his qui a principe vacat., h. lib. tit. 44. — 22. L. 21, supr. ad leg. Cornel. de falsis. — 23. L. 51, l. 55, infr. h. t. — 24. L. 28, l. 37, l. 45, in fin.; L. ult. in fin. infr. eod. — 25. L. 12, infr. de suscept., h. lib. tit. 70; L. 2, infr. de silentiar., lib. 12, tit. 16; L. 17, § 7, D. ad municip. — 26. L. 62, in pr. infr. h. t. — 27. Adde L. 5, § 2, D. de iure immuni. — 28. N. 45, in fin. pr. — 29. Adde L. 35, in fin. infr. h. t. — 30. L. 19, supr. eod.

non patrum suorum, verum matrum conditionem sequantur. — Dat. 3 id. octobr. VALENTINIANO et VALENTE AA. Cons. 568.

30. *Idem*, AA. ad Modestum P. P.

Procuratores reipublicæ actionibus publicis debere uti non venit in dubium.

31. Imp. VALENT., VALENS et GRATIANUS AAA. ad Modestum P. P.

Ex omnibus domibus 31 producti, qui origine sunt curiales, ad subeundam publicorum munerum functionem protrahantur: quippe cum occultatoribus talium, præter jacturam existimationis, etiam rerum discrimen incumbat, si ulterius progressi, utilitatem publicam privatis custodiis, et patrocinii postponent. — Dat. 3 id. Jul. Ancyra, GRATIANO A. 2 et PROBO Cons. 571.

32. Imp. GRATIAN., VALENT. et THEOD. AAA. ad Neotherium P. P.

Fabricenses ordinibus 32 restituantur, qui originem curialem et propria munera declinaverint civitatis: reliqui ne levi quidem iniquitate pulsentur. — Dat. 16 kal. april. Thessal., GRATIANO 5 et THEOD. 1 AA. Cons. 580.

33. *Idem*, AAA. Eutropio P. P.

Omnes iudices provinciarumque rectores a consuetudine temerariæ usucapionis abstineant, scientque neminem omnino principalium aut decurionum sub qualibet culpæ aut erroris offensa cruciatibus 33 esse subdendum. Quod si quis forte iudicem in hanc pertinaciam illiciti furoris eruperit, quod audeat principalem aut decurionem, et suæ curiæ (si sic dici oportet) senatorem 34, tormentis 35 subdere, viginti librarum auri illatione multatus, et perpetua infamia inustus, ne speciali quidem rescripto notam eluere mereatur: et officium quinquaginta librarum auri nullam fisco nostro cogatur inferre: quoniam ut pertinaciæ iudicis [sui] resistat, liberam eidem contradicendi permittimus facultatem. — Dat. 12 kal. August. Heracleæ, EUCHERIO et SYAGRO Cons. 581.

34. *Idem*, AAA. Floro P. P.

Si quis procurationem facultatum suarum curiali crediderit esse mandandam, totius dignitatis exceptione depulsa, gravissima pena plectetur: ille vero qui immemor libertatis et generis, infamissimam suscipiendis vilitatem, existimationem suam servili obscundatione damnaverit, tradatur exilio. — Dat. 10 kal. novembr. Constantinop., ANTONIO et SYAGRO Cons. 582.

35. *Idem*, AAA. Posthumiano P. P.

In filiis decurionum retinendis priorum præceptorum decreta sublimitas tua custodiat: eosque qui advocacionis 36 obtentu curialia onera declinant, ægere universa compellat: quæ etsi necessitas non exigit, tamen patria non remittit: ipsos quinque filios magistrorum qui ex curiali stirpe descendunt, simili modo obnoxios esse decernat. — Dat. 8 id. april. Constantinop., MEROBAUDE 2 et SATURNINO Cons. 585.

36. *Idem*, AAA. ad Basilium com. S. L.

Exemplo senatorii ordinis, patris originem unusquisque sequatur: nec valeant specialiter delata rescripta, si quis se, matris origine defensa, a majore curia ad minorem transferri fortasse promeruerit: neque ulla pro more provincie referri sinatur exceptio. — Dat. 16 kal. Jul. Romæ, MEROBAUDE 2 et SATURNINO Cons. 585.

37. *Idem*, AAA. Posthumiano 2 P. P.

Quotiescunque se ex rescriptis 37 nostris aliquid impetrasse contendunt hi quos obnoxios curiæ, vel origo fecerit, vel latum inter partes iudicium designaverit: nullam prorsus spem curiam declinandi ex colore sacræ iussionis accipiant. — Dat. 14 kal. August. Constantinop., MEROBAUDE 2 et SATURNINO Cons. 585.

38. *Idem*, AAA. ad Cynegium P. P.

Ne quis officialium pœnæ specie atque æstimatione curiæ dedatur: nisi si quis forte curiam defugiens, ob hoc cepit militare 38: ne ingentis fungatur officis. Omnes itaque omnino iudices tuæ censuræ subditos admoneris, ne quis [eorum] existimet curiæ loco supplicii quantum deputandum: cum utique unumquemque criminis non dignitas debeat, sed pœna comitari. — Dat. 8 id. novembr. Constantinop., RICO-MERE et CLEARCHO Cons. 584.

31. L. 59, infr. eod. — 32. L. 4, infr. de fabricensib., lib. 11, tit. 9. — 33. Vide tamen L. 40, infr. h. t. — 34. L. 236, § 5, D. de verb. sign.; N. 38, in pr. — 35. L. ult. D. h. t.; L. ult. infr. de curial. urb. Romæ; L. 11, tit. 16; L. 11, in fin.; L. 16, supr. de question.; N. 45, circa fin. pr. — 36. L. 56, l. 57, infr. h. t.; L. 15, § 1, D. ad leg. Corn. de falsis. — 37. L. 19, supr. h. t. — 38. L. 65, infr. eod. — 39. L. 319, supr. eod. — 40. L. 5, in pr. D. de iure immuni. — 41. L. 2, supr. de offic. milit. jud.; adde L. 47, infr. h. t. — 42. L. 21, l. 28, l. 35, l. 39, supr. eod. — 43. L. 19, supr. eod. — 44. Adde L. 1, § ult. D. ad municip.; excip. L.

39. *Idem*, AAA. ad Eusignium P. P.

Curiales qui sese privilegio 39 domus nostræ defendi posse crediderint, ad curiam retrahantur, et propriis functionibus mancipentur, et publica damna sarciant. — Dat. 8 kal. Jan. Hoxor. NB. P. et EVODIO Cons. 586.

40. Imp. VALENT., THEODOS. et ARCADIVS AAA. Cynegio P. P.

Quilibet principalium vel decurionum, [si] vel decoctor pecuniæ publicæ, vel fraudulentus in adscriptionibus illicitis, vel immoderatus in exactione fuerit inventus: juxta pristinam consuetudinem non solum a vobis, quibus propter loci dignitatem rerum summa commissa est, verum et a iudicibus ordinariis plumbatarum ictibus subiciatur. — Dat. die kal. april. Constantinop., VALENTIN. A. 4 et EUTROPIO Cons. 587.

41. *Idem*, AAA. Cynegio P. P.

Decurio fortunam, quam nascendo meruit, suffragiis atque ambitione non mutet: et si vacare per senectutem 40 poterit propter ordinationem, quæ per plurimos cito deliniri solet, curiam non derelinquat. — Dat. prid. non. Jul. Constantinop., VALENTINIAN. A. 4 et EUTROPIO Cons. 587.

42. Imp. THEOD., ARCAD. et HONOR. AAA. Abundantio com. et magistro utriusque militiæ.

Militaribus 41 viris nihil sit commune cum curiis nihilque sibi licitum sciant, quod suæ non subjectum est potestati: nullum injuria, nullum verbere, nullum gravi pulsatione tribunus, duxve ille, aut comes sit, curialem principalemve contingat. Si quis posthac temerario, et inconsiderato ausu ullum ex principalibus viris usurpata attraxerit injuria sciat se decem libris auri esse multandum. — Dat. prid. kal. August. Constantinop., ARCADIO A. 1 et RUFINO Cons. 592.

43. *Idem*, AAA. Rufino P. P.

Omnes, qui curiali obstricti sanguine diversis se officiorum 42 privilegiis et actu præjudiciis aggregarunt, reddendos muniis esse non ambiges. Sed nec rescripta 43, aut annotationes ad munerum fugam prodesse permittimus. — Dat. prid. id. april. Constantinop., THEOD. A. 3 et ABUNDANTIO Cons. 595.

44. *Idem*, AAA. Rufino P. P.

Nullus solius materni 44 sanguinis vinculis illigetur: quia mulierum infirmitas nunquam hujusmodi functionibus reddit obnoxios, a quibus ipsa habetur immunis. — Dat. 5 id. August. Constantinop., THEODOS. A. 3 et ABUNDANTIO Cons. 593.

45. *Idem*, AA. Theodoro P. P.

Ad subeunda patriæ munera dignissimi 45 meritis et facultatibus [curiales] eligantur: ne tales forte nominentur, qui functiones publicas implere non possunt. — Dat. 15 kal. februar. OLYBIO et PROBINO Cons. 595.

46. Imp. ARCADIVS et HONORIVS AA. Ennoio procons. Africæ.

Nominationum forma vacillare non debet, si omnes, qui albo curiæ detinentur, adesse non possunt: ne paucorum absentia, sive necessaria, sive fortuita debilitet, quod a majore 46 parte ordinis salubriter fuerit constitutum: cum duæ 47 partes ordinis in urbe positæ totius curiæ instar exhibeant. — Dat. 17 kal. Jun. Mediolan., OLYBIO et PROBINO Cons. 595.

47. *Idem*, AA. Cæsario P. P.

Curiales, qui honorariam adepti sunt comitivam dignitatem, formare debent eos, quorum 48 moderatiōi sunt commissi: nec se existimare ideo meruisse dignitatem, ut iudicium præcepta despiciant. Quod si in eadem culpa perseverent, quinque librarum auri multæ obnoxii subijungentur: honore quoque, quem prodiderint, spoliandi. — Dat. 4 kalend. Januar. CP., OLYBIO et PROBINO Cons. 595.

48. *Idem*, AA. Florentino P. U.

In successione curialium decernimus, ut etiam 49 si patres decesserint, teneatur agnatio. — Dat. 12 kal. Jan. Mediolani, CÆSARIO et ATTICO Cons. 597.

49. *Idem*, AA. Theodoro P. P.

Omnes, qui quolibet [modo] curiæ jure debentur 50, cujuscunque superstitionis 51 sint, ad implenda munera teneantur. — Dat. id. septembr. Mediolani, HONORIO A. 4 et EUTYCHIANO Cons. 598.

50. *Idem*, AA. Eutyechiano P. P.

Omnes omnino curiales in originalibus ac debitis perpetuo curiis 52

39. infr. h. t. — 40. L. un. infr. de potiorib. ad munera nomin. h. lib. tit. 65; L. 7, in pr. D. h. t. — 41. L. 19, D. ad municip. — 42. L. 5, D. quod cujuscunque uivera. — 43. L. 44, supr. eod. — 44. L. 56, infr. eod.; L. 7, in pr. infr. de princip. agent., lib. 12, tit. 22. — 45. N. 45, in pr. — 46. L. 7, supr. de heret.; L. 5, in fin. D. h. t. — 47. L. 55, infr.; L. 1, D. eod.; L. un. infr. si curialis relicta civit., h. lib. tit. 57; L. un. in fin. infr. de privil. corporat. lib. 12, tit. 12.